

# **Landesbibliothek Oldenburg**


**Digitalisierung von Drucken**

**Lectori Benivolo S. P. D. Joh. Nicol. Eccard. Consist. Reg.  
Assessor & Lycei Oldenb. Rector**

**Eckard, Johann Nikolaus**

**Oldenburgi, M.D.CC.?**

[urn:nbn:de:gbv:45:1-639461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-639461)





Eccard  
invokatio

eschicht. H.

IX. B.

365



B.





















# LECTORI BENIVOLO

S. P. D.

JOH. NICOL. ECCARD

Consist. Reg. Assessor & Lycei

Oldenb. Rector.

EX BIBLIOTHECA  
OLDENBURGENSI.



Thenas, celeberrimum illud  
olim Musarum domicilium periisse, sunt  
qui dolent maxime: Hodie veroChristia-  
norum Scholas quàm plurimas, quæ quondam  
florere, antiquum chaos petere, ecquis deplorare satis  
potest! Scilicet sua etiam fata bonis literis sunt, illorum-  
que arbitrio Scholæ modo florent, modo in genua dejiciun-  
tur; Id quod non antiquitatis fides solum, sed experien-  
tia etiam, quotidiana rerum Magistra hinc inde testatur.  
Detruduntur paulatim in infimum locum humaniores literæ,  
& una cum his etiam, qui in illis tradendis sunt occupati,  
ut vix

A.





ut vix attollere oculos audeant eo, unde fati sui malignitate ceciderunt. Hæc res Athenas quondam opplevit barbarie, antequam barbarus hostis irrueret, ut testis est Synesius, Ptolomaidis Episcopus, qui Theodosij tempore vixit Epist. 146. An ejusdem malignitatis hominum, an verò ipsorum imperitiæ aut inertæ vitio, cur hodie Scholæ vilescant, imputandum sit, ambigi potest. Certè de scholis & aperiendis & conservandis altum ubique est silentium! Multi etiam, quorum vel maximè interest, & à quibus officij ratio, ut Scholarum curam suscipiant, summo efflagitat opere, ea in re negligentiores reperiuntur, quasi Schola res esset, infra suam ipsorum magnitudinem collocata: Ita cum fastidio despiciunt illud, cujus tamen beneficio ad honoris gradum, in quo stant, fuerunt evecti. Qua in re idem, opinor, illis, quod pueris accidit: Hi cibo potuque repleti & satiati, panem, quem tenent, in quodvis obvium scamnum, sedile vel terram projiciunt, de futura inedia & indigentia nihil solliciti: Bonus verò Paterfamilias qui annonæ caritatem præmetuit, & cui utilitas & usus panis ad vitam hanc sustentandam est cognita, etiam in copia & abundantia illius, de futura necessitate, & de medijs, quibus comparare eundem & conservare queat, sollicitus est: Pari etiam modo cum Scholis res se habet, scilicet, ut diversa hominum

num



num judicia sunt & propensiones variæ, ita nonnulli fusque deque habent quod alij omni cura atque solertia dignum arbitrantur. Nam qui accuratiori vultu res hominum intuentur, illi probe norunt, cum salute Reipublicæ conjunctam esse Scholarum salutem, inde etiam ad earum conservationem omne studium suum consiliumque conferent, atque hoc ipso illorum ausus & conatus, qui in Scholis deficiunt, quantum fieri potest, adjuvabunt & promovebunt. Nota enim est humana imbecillitas, ignorantia, oblivio & socordia, hæc nisi perpetua admonitione, vellicatione & calcaribus expergefiat, facile in oblivione sua obdormiscit. Hinc omnes omnino homines, qui ultra vulgi mensuram sapere volunt, (ut de Magistratibus nil dicam, isti enim, vel me tacente, suum norunt officium) rei gravitatem cognoscent, & quantum in se est, eò nitentur, ut Scholæ publicæ, earumque Doctores indies capiant incrementum. Nam si hisce studiis, quæ in Scholis excoluntur & discuntur, Ecclesia DEI & Respublica ædificatur, continuatur & ad posteritatem transmittitur, regnumque DEI in his terris stabilitur, & nominis divini gloria, Majestas & amplitudo cognoscitur & celebratur: ecquis Christianorum non in ea conservanda omnes vires suas, facultates & operam lubenti animo conferret? Quis non intelligit hic vocationis & creationis suæ finem? Hoc vel ipsa studia, quæ colimus, à nobis exigunt, quæ à Deo ab origine ad finem usque



usque mundi homini sunt commendata. Hunc in finem laudatissimi **Superiores** nostri **Examina** in Scholis publica certo tempore habenda constituerunt, ut hac ratione laborum Scholasticorum, & quomodo docentes pariter & discentes suum faciant officium, accurata fieret exploratio. Quæ consuetudo cum apud nos quoque servetur, ea qua par est observantia & fide invitantur hac vice **Mæcenates & literarum Patroni**, velint ad breve tempus *Musis* nostris indulgere, atque **Examini** die crastino, (hic enim terminus juxta leges nostras nobis est præfixus) in Auditorio majori habendo adesse. Agite ergo **Viri omnium ordinum honoratissimi**, & qui jam imminente vere in agellos vestros & hortos vos soletis conferre, partim ut animum reficiatis, partim ut operam hortulani urgeatis & promoveatis: Ita quoque labores, qui in *Musarum* hortulo Deo adjuvante suscipiuntur, introspicere, atque vestrâ præsentia, reulas nostras promoveri ne dedignemini. Valet in Domino. Dabam è Museo. **Oldenburgi, Dominica Judaica. M. D. CC.**



OLDENBURGI,  
 Typis **JACOBI NICOLAI ADLERI**, Regis Daniarum Typographi privilegii.